

eū semetipsum curare debet, qui aliena uulnera uult  
tergere. **V**nde **A**postolus, cū de ordinandis ministris  
ecclesiæ loqueretur, ait: **N**on nuper conuersum, non  
neophytum, ne forte elatus in iudiciū incidat diabo-  
li. **Q**uem autē diuturnitas temporis & perfectio pe-  
nitentiæ idoneū reddit, de fouea peccati etiam alios  
extrahere debet, iuxta illud quod in **A**pocalypsi dicitur:  
**Q**ui audit, dicat, **V**eni. **V**n̄ & bene dicitur: **Q**uan-  
to autē eis præcipiebatur, tanto magis plus prædicabatur,  
& eo amplius admirabantur, dicentes: **B**ene omnia fe-  
cit, & surdos fecit audire, & mutos loqui.

### DOMINICA XIII. post Pentecosten, Luca X.

**I**n illo tempore dixit Iesus discipulis suis:  
**Beati oculi qui uident quæ uos uideris.**  
**Et reliqua.**



**I**n exordio huius lecti  
onis querit, quare do-  
minus oculos se uide-  
tium beatificet. **N**unquid  
oēs oculi beati fuerit, qui  
eū corporaliter uidere po-  
tuerunt? **N**unquid beati ocu-  
li **P**ilati & **C**aiphæ, & cæte-  
rorum qui eum uiderunt  
& crucifixerunt? **A**ut nun-  
quid oculi **I**udæ beati, qui  
eum uidit & tradidit? **N**ō.

**A**lioquin & oculi beatarum & uolucrum beati esse possent.

ferit. Sed beatos dicit oculos apostolorum, quibus se  
& patrem reuelare dignatus est, p quibus superi<sup>9</sup> pa  
tre glorificauerat, dicēs: **Cōfiteor tibi dñe, pater cæli & terræ,** qui abscondisti hæc à sapientibus & pruden  
tibus, & reuelasti ea paruulis. Quod euidenter euan  
gelista manifestare curauit, cum postea, quæ superius  
scripserat, adiunxit, dicens: **Et conuersus ad illos, di  
xit: Beati oculi qui uident quæ uos uidetis.**  
Illorum scilicet oculos beatos ostendens, qui homi  
nem uidentes, deum crediderunt. Nā quid in illo ho  
mine spiritalibus oculis interius uiderunt, alibi ostē  
dunt, cum requisiti unius uoce respondent, dicentes:  
**Tu es Christus filius dei uiui.** Et talis uisio, talisq; con  
fessio quod beatitudinem mereatur, ipse dñs ostē  
dit, cum protinus respondit, dicens: **Beatus es Simon  
Bariona,** quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed  
pater meus q; est in cælis. **Nec;** hæc beatitudine frau  
dabimur, qui eū corporaliter non uidimus, & tamen  
spiritaliter credimus, sicut cuidā se uidēti dixit: **Quia  
uidisti me, credidisti: beati qui non uiderunt, & credi  
derunt. Dico enim uobis quod multi reges & p  
pheta; uoluerunt uidere quæ uos uidetis, & non uide  
runt: & audire quæ auditis, & non audierunt.** ] Si re  
ges iuxta literam accipimus, agnoscere possumus q; a  
sancti reges, qualis fuit Dauid, lezechias & Iosias, uo  
luerunt uidere quod apostoli uidebant, sed non uide  
runt. Sed quia rex à regendo nomen accepit, spiritali  
ter eos reges accepimus, qui quamuis sint paupertate  
tenuēs, tamen actus suos & cogitationes iuste re  
gere & disponere nouerunt. De quibus per Salomonem  
dicit: **Cor regis in manu dñi.** Vñ bene alius euan  
gelista pro regibus iustos posuit, dicens: [ **Multi iusti**

Luce. 11

Matth. 13

Proph. 13

& prophetæ uoluerunt uidere quæ uos uideris, & non uiderunt. ] Sicut enim amittit regiam potestatem, qui tyrannidem exercens, nec se, nec sibi subiectos regere nouit: sic pauper & exiguus regis nomine censet, quod seipsum regere nouit bene. **Quod Fortunatus breuiter uersiculo comprehendit, dicens:**

**Pauper in occulto regnat, habendo deum.**

Sed quaeritur quare dominus dicat, Multi reges & prophetæ uoluerunt uidere quæ nos uideris, & non uiderunt & audire quæ auditis, & non audierunt, ] cum Iacob patriarcha dicat, **Vidi dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea. Et Isaias, Vidi dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum. Et ipse Abrahæ testimoniū perhibeat, dicens: Abrahæ pater uester exultauit, ut uideret diem meum. uidit, & gaudius est. Sed ad hoc dicendum est, quia aliud est figura, & aliud ipsa res quæ figuratur: aliud speculū, & aliud species. Sancti ergo prophetæ per spiritum sanctum in carne præuiderunt deum futurum, sed corporaliter eum secum conuersantem, colloquentem, conuiescentem, sicut apostoli uidebant, uidere desiderauerunt, sed minime uiderunt. Et ideo de presentia sua corporali dixit: [ Multi reges & prophetæ uoluerunt uidere quæ uos uideris, & non uiderunt. ] Nam quantum antiqui sancti eum in carne uoluerint uidere, indicat uenerabilis Iacob, qui cum moriturus filios benediceret, ait: **Salutare tuum expectabo domine. Et Isaias hoc desiderio ardebat, cum dicebat: Utinam dirumperes caelos & descenderes. Et David eodem feruens amore, dicebat: Domine inclina caelos tuos & descende. Hoc etiam ait uabat, desiderio ille iustus Simeon in euangelio, quia pro magnitudine sui amoris responsum accepit, non****

**Gene. 32  
Isaie. 6**

**Gene. 49.  
Isaie. 64**

uirum se mortem, priusquam uideret Churſtū do-  
 mini incarnatum. Et ecce quidam legisperitus  
surrexit, tentans illum ⁊ dicens: Magister,  
quid faciendo uitam æternam possidebo? For-  
 tassis legisperitus iste, ut ad tentādum dominum sur-  
 geret, ex ipsius uerbis occasionem sumpsit, quibus su-  
 perius discipulis dixerat: **Gaudete ga noīa uestra scri** **Luc. 10**  
**pta sunt in celo.** Voluit enim scire, utrum & nomen  
 suum scriptum diceret in celo, ideo tam solícite inter-  
 rogat, quid faciendo uitam æternam possideat. Sed  
 quia imperite est loqui, bonum nō recta intentione  
 proferre, legisperitus iste imperite interrogasse com-  
 probarur. Quod enim non recta intentione dñm in-  
 terrogauerit, euangelista manifestat cū dicit: [Surre-  
 xit tentans eum.] Surrexit autem, non solum corpo-  
 re ad interrogandum, sed etiam mētis elatione ad tē-  
 tandum. Quod ipsis suis aperit uerbis, cum hunc nō  
 quasi dñm, sed quasi magistrum inquit, dicēs: [Ma-  
 gister, quid faciendo uirā æternam possidebo?] Sed  
 dominus quem occulta cordis non fallunt, & quem  
 nulla latet cogitatio, ita suā responsionem temperat,  
 ut ad interrogationē scribē respōdeat, & à tentatore  
 reprehendi nō possit. Misit enim eum statim ad legē,  
 quam in ore & non corde gestabat, dicens: In lege  
quid scriptū est? Quomodo legis? At ille, qđ  
 legerat, nec negare poterat, respondens dixit: Dili-  
ges dominum deum tuū ex toto corde tuo, ⁊  
ex tota anima tua, & ex oībus uiribus tuis, & ex omī-  
mente tua, & proximum tuum sicut teipsum.] Quā  
 responsionem, quia dominus suam esse recognouit,  
 protinus collaudauit, dicens: Recte respondisti:  
hoc fac, ⁊ uiues. Sed interrogatio hęc scribæ ma-

gnā nobis utilitatē parit, si q̄d hoc r̄ndit uerbis, ser-  
 mus operibus. Ait enim: [ Diliges dominum deum  
 tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex  
 om̄ibus uiribus tuis, & ex omni mente tua, & proxi-  
 mū tuū sicut teipsum. ] In q̄bus uerbis ostenditur, q̄a  
 si uitam uolumus possidere æternā, debemus deū di-  
 ligere nō ex parte, sed ex integro, toto corde, tota ani-  
 ma, totis uiribus, tota mente, ut locus nullus remane-  
 at uacuus, q̄ nō dei dilectionē repleat, sed mens, ma-  
 nus & lingua, eius dilectionem resonent. Vbi notan-  
 dum quia in dilectione dei mensura non ponitur, cū  
 dicitur: [ Diliges dominum deum tuum ex toto cor-  
 de tuo, & reli. ] Quia em̄ immensus est deus, sine mē-  
 sura est diligendus: ut cum multum eum diligimus,  
 parū nos diligere fateamur. In proximi uero dilectio-  
 ne mēsurā ponitur, cum dicitur: [ Et proximū tuum  
 sicut teipsum. ] Debemus igitur deum diligere plusq̄  
 nos, & proximum sicut nos, id est, sicut nostræ necessi-  
 rati uolumus subueniri, sic subueniamus & pximo:  
 & sicut nostrę infirmitati uolumus compati, sic cōpa-  
 tiamur & proximi: & sicut ad uitam uolumus uenire  
 æternam, sic optemus nobiscum peruenire & proxi-  
 mum: & hoc est uere diligere proximū, sicut nosmet  
 ipsos. Considerāndum est autem in hoc loco, quia ue-  
 re nō diligitur deus sine proximo, nec uere proximus  
 sine deo. Si quis em̄ ita deum diligit, ut proximi curā  
 negligat: uel ita proximum diligit, ut dei dilectionē  
 postponat, nō habet e ueram dilectionem credēdus  
 est. Quod in diuina lege figuraliter demonstratur, q̄n̄  
 in ornamento pontificis coccus bis tinctus poni præ-  
 cipitur. Quasi em̄ in ornamento pontificis coccus bis  
 tinctus ponitur, cum in nostro opere dilectio gemi-

natur. Sicut enim quis sine duabus alis ad alta sese sustollere non potest, sic nos ad perfectionem venire nequimus, nisi duo precepta principalia seruemus, dilectionem uidelicet dei & proximi, teste Iohanne apostolo qui ait: Si quis dixerit quoniam diligo deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Et iterum: Qui non diligit fratrem suum quem uidet, deum quem non uidet, quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus a deo, ut qui diligit deum, diligat & fratrem suum. **Ille autem uolens iustificare seipsum, dicit ad Iesum. Et quis est meus proximus?** Erat enim de illis, de quibus dominus ait: Quæsierunt gloriam hominum magis quam dei. Sed dominus ita suam responsionem temperauit, ut & se nobis proximum per misericordiam ostenderet factum esse, & pharisæo quem imitari deberet, declararet.

**Suspiciens autem Iesus, dicit: Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho, & incidit in latrones.** Qui in scripturis literam sequuntur, congrue dicunt, quia dominus cum similitudinem uulnerati hominis poneret, recte hunc ab Ierusalem in Iericho descendisse commemorat. Siquidem ab Ierusalem in Iericho peregrinibus rupes sunt magnæ & ualles concauæ, & loca latronum insidijs apta. Huius rei testis est Iosephus, qui multitudinem latronum ab Herode in eodem loco necaram esse narrat. Nos spiritualiter hunc hominem Adam cum stirpe sua intelligimus, qui bene de Ierusalem in Iericho descendisse dicitur: quia uisionem supernæ pacis amittens, in præsentem uitam miseris & æruginis plenam decidit. Ierusalem quippe, uisio pacis: Iericho autem luna interpretatur. Luna uero in sacro eloquio, humanæ fragilitatis defectum significat, quæ dum mensuris horis crescit & decrescit, nostræ calamita-

*Ad. I. Ios. 10. 1. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.*

tis mutabilitatē exprimit, qui crescimus nascēdo, de-  
 crescimus moriēdo. **Tunc** ergo primus hō de Ierusa-  
 lem in Iericho descendit, qñ sociatē angelorū, cum  
 qbus deū contēplabatur, relinquēs, p̄sentis uitae mi-  
 serias expertus est. **Larrones** uero, in quos incidit, im-  
 mūdi spūs sunt, qui se dēt in insidijs in occultis, ut in-  
 terficiāt innocētes. **Ab hōrū insidijs** orabat se libera-  
 ri, p̄pheta, cū dicebat: **Custodi me à laqueo quem sta-**  
 tuerunt mihi, & à scandalis operantiū iniquitatem.  
**Qui etiā despoliauerunt eum.** Despoliauerunt  
 quippe eū, quia post p̄t̄m ueste immortalitatis, qua  
 uestitus erat, nudauerunt. **Vnde & ilico cognoscent-**  
 tes se esse nudos, cōsuerūt folia ficus, & fecerunt sibi  
 perizomata. **Et plagis impositis, abierūt.** Pla-  
 gas imposuerunt, qñ post inobediētiā genus huma-  
 nū de paradiso expulsū uarijs uitijs & peccatis uul-  
 nerauerunt. **Abierūt** aut non à tentatione cessando,  
 sed nō tm̄ quantū uoluerūt nocendo. **Vnde & bñ di-**  
 citur: **Semiuiuo relicto.** Quasi enim semiuiuus  
 est, q̄ ex alia parte est uiuus, & ex alia mortuus. Semi-  
 uiuū ergo reliquerūt, q̄a ueste immortalitatis eū nu-  
 dauerūt, sed spem redeūdi adueniā, penitus auferre  
 nō potuerunt. [ **Accidit** aut, ut sacerdos quidā descē-  
 deret eadē uia, & uiso illo pr̄teriuuit. ] **Sacerdos** iste  
**Aaron** intelligit in ordine suo, cui honor sacerdotij  
 legalis à deo cōcessus est. **Et ipse** ergo eadē uia descē-  
 dens, uidit hōiem uulneratū, & pertrāsit, q̄a de eadē  
 mortalitate natus, intellexit genus humanū sub pri-  
 mae p̄uaricationis p̄t̄ō teneri, sed nec se, nec alios po-  
 ruit liberare. [ **Similiter & leuita**, cū esset secus locū,  
 & uideret eū, pertrāsit. ] **Leuita** ordinē significat, p̄-  
 pheta: quia & ipse uidit hōiem uulneratū, & per-

Abierūt

transiit, quia intellexerunt ppheta sub uinculo pri  
mi reatus hoim genus cē ligatū, sed nec se, nec alios  
absoluere potuerūt. [Samaritanus autē quidā iter fa  
ciens, uenit secus eū. & uidens eū, misericordia motus  
est.] Samaritanus, q̄ custos interpretat, dñm signifi  
cat Iesum Christū, de quo per prophetā dī: Nisi dñs  
ædificauerit domū, in uanū uigilat qui custodiūt eā.  
A quo se custodiri optabat ille, qui dicebat: Custodi  
me dñe ut pupillā oculi, sub umbra alarū tuarum p  
tege me. Iste em̄ est ille custos, cui per Isaiam pph  
etam dicitur: Ad me clamat ex Seir: Custos qd̄ de no  
ste? Ait custos: Venit mane, & nox. si quæritis, quæ  
rite: conuertimini, & uenite. Nam & in euangelio, cū  
Iudæi impropetando ei dicerent, Nonne bene dici  
mus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium ha  
bes: negauit se dæmoniū habere, sed non negauit se  
Samaritanū esse. Huius Samaritani iter fuit de cælo  
in uterum, de utero in crucem, de cruce in sepulchrū,  
de sepulchro iterum in cælum. Sed cum iter faceret,  
uenit secus uulneratum, quādo similitudinē nostræ  
carnis accepit. Vidēs autem uulnera eius, misericor  
dia motus est: quia quod nos de perpetua morte libe  
rauit, & quod pro nostra redemptione deus homo  
factus, usq̄ ad nostrā humanitatē se inclinauit, totū  
misericordia fuit, & non meritū, quod inspexerat p  
pheta cū dicebat: Misericordia autē dñi ab æterno, &  
usq̄ in æternū super timētes eū. [Et appropians alligauit uulnera eius, infundens oleum & uinū.] Vul  
nera alligauit, qñ peccare prohibuit. Siue uulnera al  
ligauit, qñ pœnitentibus ueniam repromisit, dicēs:  
Non ueni uocare iustos, sed peccatores ad pœnitent  
tiam. Et iter: Nō est opus sanis medico, sed male ha

Isaie: 25

Psal. 103

Matth. 9



bentibus. Et recte dicitur: [Infundens oleum & uinum] Hæc em̄ duo liquamina (ut medici ferunt) curandis uulneribus sunt apta: quia uinū purgat, oleū fouet. Spiritualiter aut̄ dñs quasi plagis uulnerari uinum infudit, qñ asperitatē pœnitentiæ indixit. Oleum infudit, cum pœnitentibus suauitatē ueniæ remisit. Quasi uinū infudit, cum dixit: Pœnitentiā agite. Quasi oleum, cū adiunxit: Appropinquabit enim regnum cœlorū. Et imponens illum in iumentum suum, ducit in stabulū. 7 curā eius egit. Iumentum hic, immaculatum dñi significat corpus. Quasi ergo uulneratū hoīem iumento imposuit, qñ per sacram passionem suæ carnis, nos dñs à peccatis liberauit. Vnde bene iumentū dictum est, quasi adiumentū, q̄a inde nostrā infirmitatē iuuat, quod p̄ nobis passionem carnis sine peccato sustinuit, sicut p̄ Petrum dicitur: Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignū, ut peccatis mortui, iustitieg uiuamus, cuius liuore sanati sumus. Hoc etiā iuxta aliam euangelij parabolam significare uoluit, qñ errantem ouē inueniens, humeris suis imposuit, & sic reportauit ad gregem. Postum aut̄ hoīem uulneratum in iumento, duxit in stabulū, q̄a redemptum genus humanū duxit ad ecclesiam. Hæc em̄ spiritualiter stabulū dicitur, ubi q̄tidie sc̄tā animalia pabulo diuini uerbi reficiuntur, ubi iuxta Isaiæ prophetiam, accubat lupus cū agno, & bos cum leone paleas comedit. Et altera die protulit duos denarios. 7 dedit stabulario. Altera dies, tempus ē post dñi resurrectionem. Quasi em̄ una dies fuit ante passionē, & altera post resurrectionem. Duo denarij, duo testamenta, nouū & uetus: siue duo p̄cepta charitatis, dilectio scilicet

1. Petr. 4.

dei & proximi. Tunc enim duos denarios dedit stabulario, quoniam duo testamenta siue duo precepta charitatis, primum apostolis, deinde sequacibus eorum (id est magistris ecclesie) docendo tradidit. Quantam autem dominus de nostra salute curam habeat, manifestat cum adiungit: Et ait illi: Curam illius habe. Quasi enim curam uulnerati hominis habendam stabulario iniunxit, quoniam in persona omnium pastorum specialiter Petro dixit: Si diligis me, pasce oves meas. Cui recte in premio promittitur: Et quodcumque supererogaueris, ego cum rediero, reddam tibi. Supererogat quippe stabularius, quando hoc agit homo doctor ex uoto, quod non accepit ex precepto. Quod fecit Paulus apostolus, quando habens licentiam, ut euangelium annuncians, de euangelio uiueret, noluit uti hac potestate, sed die predicabat, & noctibus laborabat, unde sibi suisque uictum & uestimentum tribueret. Samaritanus cum redierit, quod supererogauit reddet ei, quando in iudicium ueniens, pro maiori labore predicationis, maiorem retribuet retributionem, dicens fidei seruo: Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituiam, intra in gaudium domini tui. Finita autem similitudine, interrogatione scribae dominus pulcherrime conclusit, dicens: Quis horum trium uidetur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones? Ille uero quod negare non poterat, & quod euidentissima ratio demonstrabat, respondit: Qui fecit misericordiam in illum. Cuius responsione dominus confirmat, adiungens: Vade, & tu fac similiter. Ac si diceret: Sicut Samaritanus alienus natione, proximus factus est uulnerato homini charitate;

Joh. 13.

Matth. 25.

ita & tu omnem hoīem proximum tuū iudicans, omnia bona quæ potes, quibuscunq; uales in pēde, & implesti utiq; charitatem, quæ ad uitā ducit æternā.

**DOMINICA XV.**

post Pentecosten. Lucæ. XVII.

**In illo tempore Dum iret Iesus in Ierusalem, transibat per mediam Samariam & Galilæam. Et reliqua**



**Q**ui Iudææ terræ cōfinia nouit, facile intelligit, quod pergens dñs Ierusalem ex his locis, in quibus eum supra euangelista docuisse commemorauit, etiam ad litteram per mediā Samariam & Galilæam transitum habuit. Et quia propter nos, & propter nostram salutē homo factus, non solū ad

seculentibus regnū dei euangelizabat, sed etiā per diuersa loca pergens, plurimis sanitatem tribuebat. **Et cum ingrederetur quoddam castellū, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterūt à longe, & leuauerunt uocem, dicentes: Iesu præceptor, miserere nostri. ]**Non enim prope accedere audebant, quibus quamuis fides suaderet affectū, leprā tñ prohibebat accessum. Excludēbātur em̄ à castris, qui hmōi sustinebant passionem. Neq; em̄ solo uisu uel sermone ab illo se recipere sanitatē dubitabant,